



Kenn 3486

(1-12)

543

8

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
CURATIONEM  
FLATUUM VENTRIS  
EXHIBENS

---

QUAM  
AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE

PRO  
GRADU DOCTORIS MEDICINÆ ET CHIRURGIAE

OBTINENDO  
D. XXIX. SEPT. MDCCXC.

DEFENDET  
GOTTLIEB CARL JACOB  
MARTISBURGO - SAXONUS.

---

HALAE,  
TYPIS FRANCKIANIS.

8.





REVERENDISSIMO ATQUE ILLUSTRISSIMO  
DOMINO  
DOMINO  
JOANNI LIBERO  
BARONI DE VOGTEN  
ET WESTERBACH

CANONICO ECCLESIAE CATHEDRALIS AD  
SANCTUM JOANNEM, QVAE WRATISLA-  
VIAE EST, NEC NON DOMINO HEREDITA-  
RIO ALT-SCHOENAVIAE, GEORGEN-  
DORFF, HELMSBACH ET MOCHAU,

DOMINO ATQUE PATRONO SUO  
PER OMNEM AETATEM VENE-  
RANDO ET COLENDO,

RODALENSIS LIBRARY


DISSERTATIONEM HANCCE INAUGURALEM

EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA

ATQUE VENERATIONE

SACRAM ESSE JUBET

G OTTLIEB C ARL J ACOE.



## PRAEMONENDA.

---

### §. I.

**D**e materia in dissertatione inaugurali tractanda cogitanti, cum in tanta rerum copia, quamne eligerem nescirem, ab Illustr. Dom. Reil praceptor ad cineres usque ad colendo, mihi una cum amicis quibusdam doctrina de Flatibus ventris tanquam thema inaugurale est propositum. Hanc de flatibus ventris doctrinam ita autem inter nos distribuimus, ut illi, partem Physiologicam et Pathologicam sibi sumerent, mihi vero pars Therapeutica cederet. Noli itaque

A existi-

existimare L. B. me universam de flatibus ventris doctrinum hoc specimine inaugurali amplexurum esse; sed in iis exponendis persistam, quae methodos flatus ventris sanandi respiciunt, semper tamen cum respectu quodam ad ea, quae circa hanc materiam Viri Clarissimi Ockel et Phoebus in dissertationibus physiologice et pathologice aut jam exposuerunt, aut adhuc exposituri sunt.

§. 2.

Est scriptoris cuiuslibet, etiam fontes narrare, e quibus materia tractationi ejus proposita et dijudicanda et deducenda sit; meum itaque duxi Therapiam generalem et specialem tanquam fontes, ex quibus omnis haec doctrina haurienda sit, allegare.

§. 3.

Antequam autem doctrinam de flatibus ventris sanandis ipsam adeam, etiam scriptorum in hac re praecipuorum mentionem facere

facere liceat, qui cum omnem de flatibus  
ventris doctrinam complectantur, mihi in  
fronte hujus tractationis haud praetereundi  
visi sunt. In horum ordine merito primus  
nominatur, liber Hippocratis περὶ Φυτῶν  
Tom. I. ex editione quae Lugd. Batav. prodiit.  
Praeterea etiam notandus est, I. Fieni  
de Flatibus hum. corp. molestantibus com-  
mentarius novus et singularis. Antwerp.

1482. Item.

Paul Zachias, de effectibus hypo-  
chondr. libr. III. Aug. Vind. 1671. 8.

I. B. Helmontii. Tractatus de flati-  
bus §. 37 cet. in oper. omn. ex edit. Mich.  
Bernh. Valentini. Hafn. 1707.

Franciscus de Paula Combalu-  
fier. Pneumatologia s. tractatus de flatu-  
lentis hum. corp. affectionibus. Paris. 1747. 8.

I. E. Stahl et I. A. Kulbel diss. de  
flatulentia. Halae 1708. 8.

A 2

D.

D. H. F. Delius Abhandlung von

Blähungen und Dünsten einer öfters verbor-  
genen Ursache vieler schweren Zufälle. Aus  
dem lateinischen übersezt. Nürnberg 1766.

In primis autem hic notatu digna est  
Dissertatio a Viro doctorando L. Phoebus  
adhuc habenda in qua partem pathologicam  
doctrinae de flatibus ventris tractabit, et cui  
omnis haec mea dissertatio innititur.

§. 4.

Quod ad ordinem dicendorum, in hac  
dissertatione, spectat; in prima ejus parte  
de methodis curativis ipsis ita agemus, ut  
primum eas, quibus symptomata urgentia  
a flatibus ventris oriunda sanantur, in  
medium feramus; deinde autem eas recen-  
seamus, quibus curatio radicalis flatuum  
ventris efficitur. In secunda dissertationis  
autem parte, diaetam, quippe quae flatus  
ventris

ventris et praecavet et sanat, in pri-  
mis proponemus, qua, ut fas jusque est,  
tradita, vitia, quae in ea committi solent,  
recensere poterimus.

**M**ercede quod pioneris de tu salvo fratre  
mercede in amicis tuis gloriatur maxime  
sistero ut pioe misericordia perfringit  
pioneris maxime tunc memorem habens  
mercede quod pioneris sumit conserua minima  
ut pioe obliusi ut pioneris obliusi  
te clymenem obliusi ut pioneris 15 milie  
mercede quod pioneris ut pioneris

---

PARS I.

*De Methodis fatus ventris sanandi in genere.*

---

Sect. I.

*De flatuum Ventris cura symptomatica.*

§. 5.

**M**eliori ordine ut ea proponam, quae ad meām rem faciunt; duo iterum in capita hanc Sectionem partitam sisto; in capite primo descriptionem symptomatum urgētium praemitto, simul additis quibusdam methodis sanandi; in secundo vero speciatim et fusius de Methodo carminativa et absorbente fatus ventris mea offero.

---

CAP.

## CAP. I.

*De ipsis symptomatibus urgentibus a flatibus ventris dependentibus, additis quibusdam methodis ea sanandi, iis exceptis, quae in capite secundo speciatim tractanda sunt.*

## §. 6.

Hanc materiam, cum in hac dissertatione inaugurali plene exhaustiri nequeam, praecipuorum tantum symptomatum urgentium et sanabilem, quae hoc pertinent mentionem faciam. His in primis, meo quidem judicio ad numeranda erit.

## A Pleuritis

Interdum difficile est pleuritidi similem illam passionem, quam flatus efficiunt, a vera distinguere. Quod ut fieri possit praecipue signorum sequentium est ratio habenda.

Sunt autem:

- 1) Pulsus parvus, debilis, nec durus,  
nec fortis

A 4

2) Sub-

- 2) Subiectum debile, valetudinarium, sanguinis inopia et jam antea flatibus excruciatum.
- 3) Respiratio quidem dolorifica, sed hi dolores non adeo sunt lacinantes, quam in pleuritide vera.
- 4) Constitutio epidemica minime inflammatoria. Praeterea
- 5) Causae praegressae v. c. vitia diaetetica, assumptio ciborum flatulentorum et
- 6) Abdomen valde tumidum est. Nec non
- 7) Quibusdam flatibus ventris omisisse pleuritidis vel evidens remissio vel integra abolitio.

Enarratis his signis praesentibus errare vix possumus; nihilominus tamen interdum res in ambiguis restat. Quod si tamen omnia haec commemorata signa rem extra omne dubium non ponant, tunc fomentationes

cata-

cataplasmata, clysinataque applicanda sunt,  
ex quorum effectibus judicetur, quomodo  
procedendum sit. Ast radicitus malum hac  
ratione tolli ne credat medicus; licet enim  
et symptoma ejusque causam, flatus nempe,  
pro tempore aufert; palliative tamen rem  
aggreditur, cuius ad radicalem curationem  
modo infra dicendo procedendum erit.

§. 7.

Symptoma, hoc loco haud praetermit-  
tendum etiam.

B. Colica est.

Quae saepissime a flatibus dependens  
inde et flatulenta dicta. Ejus autem signa  
haec sunt:

- 1) Pulsus parum mutationi subjectus, ple-  
rumque tamen spasticus
- 2) Magnum levamen flatibus ventris  
emissis et excretionem alvi sequens.

A 5

3) Dolor



3) Dolor vagus in colo transverso est, qui saepe cum dolore ventriculi confunditur.

4) Friccio abdominis non augens dolores, ut fieri solet, quoties dolores ex inflammatione oriuntur, sed potius efficiens, quo facilis (ea adhibita) fatus ventris emituntur.

5) Symptomata reliquarum colicarum deficiunt.

6) Abdomen denique saepissime valde expansum, tympaniticum.

7) Borborygmi frequentes.

Quoties aegri sunt plethorici et doloribus dilacerantur intensis, ita, ut inflammationis suspicio oriatur; ante omnia vena est secunda, nec remedia carminativa calida adhibenda sunt, nisi jam constet nullam plane adesse inflammationem. Nec minorem uti-

utilitatem praeter methodos in secundo capite indicandas varia medicamina antispastica et clysmata quibus opium admixtum est, praebent. Senebier \*) de se narrat, equitationem in hoc casu fuisse utilissimam. Si herniae cet. cet. causae flatuum ventris inventiuntur, secundum regulas artis chirurgicae reponendae sunt.

§. 8.

C. Vertiginis etiam mentionem faciendum esse puto, quae saepissime vera est Parapoplexia. Hoc symptoma facile poterit cognosci

- 1) Ex ventriculi vel tractus intestinorum, praecipue caeci, et coli transversi distensione enormi

2) ex

- \*) Spalanzani Versuche über das Verdauungsgeschäft der Menschen, nebst einigen Bemerkungen von Senebier. Leipzig 1785.

- 2) ex causis antecedentibus et
- 3) remissione vertiginis emissis aliquot flatibus ventris.

Hoc symptoma saepe magnum terrorem adstantibus injicit eosque auxilium medici, ut implorent, compellit. Curatio jamjam laudata (vid. Cap. II.) etiam hic in usum vocetur. Praeterea capiti adhibere possumus fomentationes frigidas Schmuckeri ad diminuendam congestionem sanguinis ad caput.

Summotis symptomatibus urgentibus, praedispositio ad vertiginem optime sanatur ope Valerianae sylvestris radicis et aquarum Pyrmontanarum, lacte mixtarum juxta Cl. Herz in libro: vom Schwindel 1786. 8. Berlin.

### §. 9.

**D. Gastrodynia flatulenta** Symptomatibus de quibus haec tenus egimus optimo etiam jure adnumeratur.

Aegro-

Aegrotus excruciatur maximo dolore  
in praecordiis, sustinere tamen potest mode-  
ratam pressionem; quam cum aegrotus non  
fugiat, dolor ille exinde a bilioso et infla-  
matorio distinguitur. Praeterea aegrotus  
contractionem ventriculi sentit et respiratio-  
nem paulo difficiliorem trahit; pulsus par-  
vus et contractus est, extremitates corporis  
algent.

De Curatione vid. Cap. II.

§. 10.

Ad symptomata urgentia, quae a flati-  
bus ventris caufantur, etiam refero:

E. Haemoptysin

Equidem vidi aegrotum per novem dies  
sanguinem vorente, qui omnibus reme-  
diis frustra adhibitis deterior factus est. Ab-  
domen tumidum erat, et quoties clysinata  
applicabantur haemoptysis augebatur. Hoc  
symptoma ex eo, ut postea cognovi, orie-  
batur.

batur, quod chirurgus enterenchytam numquam totam impletet, ita, ut multis aer corpori immitteretur. Qui aegrotus, quum his remediis diu frustra usus esset omnibus medicis dimissis, carminativorum, quae multos flatus ventris expellerent, usu, sanatus est,

## CAPUT II.

*De methodo stimulante et carminativa nec non de methodo flatus ventris absorbente.*

## §. II.

Quum capite primo saepius jam lectorem benevolum ad methodum carminativam et flatus ventris absorbentem allegavimus, hoc secundo capite, plura de utraque methodo offerenda esse putamus, et quidem ita, ut primo de methodo carminativa et stimulante, deinde autem de methodo flatus ventris absorbente agamus.

A.



## A.

*De methodo carminativa et stimulante.*

§. 12.

In hoc capite de nullis aliis remediis tractari potest, quam de iis, quae symptoma a flatibus oriunda statim summovent, itaque ea auferunt, quae impedimento sunt curationi radicali.

Antequam autem ad commemorationem horum remediorum ipsorum me convertam quasdam regulas statuam, quae infra magno nobis erunt usui;

§. 13.

1) Viae, quibus fatus ventris educendi sunt, apertae esse debent. Ubiunque itaque spasmī inveniuntur, anti-spasmotica, praecipue opium cet. in usum vocentur; herniae reponuntur etc.

2) Sor-

- 2) Sordes primarum viarum \*) evacuanda fuit.
- 3) Inflammatio et plethora removenda fuit.
- 4) Cum remediis leniter irritantibus semper initium faciendum est, quia saepissime spasmus hominum sensibilium excitantur, applicatis remediis irritantibus et acribus.
- 5) Quocunque modo autem fieri potest methodus illa carminativa vitanda est, quia
  - a) usui medicamentorum illorum sensim sensimque adsuescimus et effectibus destituuntur.
  - b) Curatio radicalis semper impeditur.

§. 14.

Ea itaque ratione ducti carminativa commendamus, ut intestina et ventriculus ad fortioriem

\*) Vid. Sect. II. Cap. I.

tiorem contractionem stimulentur et flatus expellantur. Quod efficitur ope medicamentum et quidem

1) internorum. Huc pertinent, Spiritus vini et essentiae cum eo paratae; aromata nostra indigena leniora v. c. mentha piperitis et crispa, anthemis nobilis et chamomilla vulgaris, veronica, anisum, foeniculum, cuminum, olea aetherea, acida mineralia edulcorata, Naphthae aliaque.

2) externorum, quibus adnumerantur: m<sup>pt</sup>us, qui fit, ambulando, equo et curru vehendo; cucurbitae abdomini imponendae quorum ope musculi abdominales ad majorem contractionem excitantur. Quibus remediis adhuc sunt addenda clysmata v. g. ex veronica et chamomillis tam romanis quam vulgaribus parata.

B

Tan-

Tantum autem abest, ut remedia haec commemorata radicalem curationem efficiant, ut potius his remediis applicatis, cum symptomata urgentia remota sint ad radicalem curationem demum sit progrediendum.

## B.

*De Methodo flatus ventris absorbente.*

## §. 15.

Remedia flatus ventris absorbentia optime dividuntur in interna et externa. Quod

## I. Interna attinet

Cl. Leonhardi \*) primus remedia illa commendavit et Cl. Keck \*\*) illis saepius usus est.

Juxta

\*) De Medicamentis flatum ventris absorventibus. Vitt. 1784.

\*\*) Abhandlungen und Beobachtungen aus der praktischen und gerichtlichen Arzneykunde. Berlin 1787.

Juxta Sententiam Leonhardi sunt:

I) Magnesia salis amari calcinata.

Chemia nos docet, magnesiam calcinatam acidum aereum in se recipere (nempe si rite est praeparata \*). Si itaque flatus ventris, ut experimenta a Cl. Priestley \*\*) et Ockel \*\*\*) instituta docent, ex aero aereo et aere inflammabili consistunt, magnesia calcinata acidum aereum absorbebit et flatus ventris in ventriculo et intestinis diminuet.

Remedium itaque egregium praebebit  
in omnibus symptomatibus urgentibus a fla-

B 2 tibus

\*) Mönchs systematische Lehre von den einfachen und gebräuchlichsten zusammengesetzten Arzneymitteln. Marburg 1789. 8. p. 306.

\*\*) Experim. and Observat. on different Kinds of air Tom. III. p. 344.

\*\*\*) Diff. an aer secundum sanitatem in primis viis adsit? Halae 1790.

tibus ventris originem ducentibus, in quibus aer quam celerrime removendus est.

Dosis, quae adultis p̄aeberi solet X—XX granorum est, cum qua a quadrante ad quadrantem horae, continuandum est, donec symptomata a flatibus orta plane cesserent. Infantibus idem remedium cum aqua menthae piperitidis mixtum (V grana pro dosi) porrigitur.

2) Aqua calcis vivae praeparata e calce bene usta.

Remedium flatus ventris bene absorbens, sed ob magnam quantitatem, quae sumenda est, si utilitatem speratam p̄aeſtare debet, rarius commendandum. Ad minimum libra brevibus intervallis sumenda est, si flatus ventris diminui debent. Aqua calcis recenter paranda, neque aeri atmosphærico exponenda est, quia calx viva aereum acidum attrahit.

3) Spi-



3) Spiritus salis ammoniaci cau-  
sticus.

Hoc remedium Cl. Leonhardi pri-  
mus commendavit, ejusque asserta per quae-  
dam experimenta a Cl. Keck facta confir-  
mata sunt. Quod ad me attinet hoc mihi  
remedium numquam tanquam internum  
probatum visum est et quidem propter vires  
eius causticas. Ast tanquam remedium ex-  
ternum atque irritans id laudo proboque.  
His tamen Cl. Keck experimentis adductus,  
in symptomatibus a flatibus ventris depen-  
dientibus hoc remedio usus sum, quamvis  
mihi suspectum videretur. Infanti igitur  
decimam hebdomadem agenti et acrimonia  
acida et flatibus laboranti, cochlear parvum  
solutionis decem granorum spiritus salis amo-  
niaci caustici, cum uncia aquae fontanae  
destillatae mixti, exhibui. Infans sumto  
medicamento mox valde clamavit, pluribus  
vicibus evomuit et motibus convulsivis per  
tres horas affectus est. Hoc etiam tempore

mam recusavit et quamvis interdum fugere  
inciperet, exinde dolores ita aucti sunt, ut  
papillam statim defereret. Acetum vini,  
oleum lini, mucilago aveniae decorticatae,  
quatuor horis peractis tandem dolores infan-  
tis temperarunt. Symptoma flatuum ven-  
tris semper adhuc se exferuerunt et quae-  
dam carminativa copiam eorum expulerunt.  
Haec observatio me valde timidum reddidit,  
elapso tamen aliquo tempore alii puello  
sex mensium aetatis idem remedium propi-  
navi; sed et in hoc, prope eosdem licet mi-  
noru gradu, effectus produxit. Qua de re,  
quo certior fierem illi acetum vini non exhibui,  
quippe quod ope lapidum cancerorum  
jam antea exhibitorum acidum aereum gigne-  
re potuisset; sed quamvis omnia haec evita-  
sem, thea tamen foeniculi et pulvere radicis  
rhei sumtis, copia flatum ventris expelleba-  
tur. Exinde nondum opportunitatem nauctus  
sum plura hujusmodi experimenta facien-  
di. Jam sufficiente vero prolata ut intelliga-  
tur,

tur, in infantibus majori cautione adhibendum esse medicamentum, quam Cl. Keck commendavit. Praeterea multi scriptores monent, ne hoc remedio tamquam interno utamur. Inter hos etiam Cl. Reuffs in dispensatorio universali Tom. I. p. 561. illud interne noxiū declarat. Experimenta quibus Cl. Mönch animalia aereo acido suffocata ad vitam revocare tentavit semper frustrata, certe probant vim acidum aereum absorbendi vel attrahendi non tantam esse, quantam Cl. Leonhardi et Cl. Keck putant. Nec, ea dosis, quae hominibus ita praeberi possit, ut damnum non capiant, copiam flatuum ventris absorbere posse, videtur. Ut autem aer inflammabilis in tractu intestinorum adhuc existens, removeatur, remediis sequentibus juxta sententiam Cl. Leonhardi utendum est. Scilicet

- 1) Pulvere carbonum; 2) Fuligine;
- 3) glandibus quercus tostis cet.

Quum enim pulvis carbonum affinitatem tantam habeat cum phlogisto, et fatus ventris partim ex aere inflammabili consistant, pulverem carbonum, ad absorbendum utrumque genus aeris magno fore usui putat. Quod mea quidem sententia, secundum principia chemica fieri non potest. Licet enim negari nequeat carbones omnimode aridos aerem inflammabilem absorbere, tamen quoties medici iis utuntur, quaedam conditiones praecipuae, quae ab Abate Felix Fontana (vid. Ingenuus vermischtte Schriften I. Th. p. 434.) requiruntur, si aerem inflammabilem absorbere debent, consistant. Primo enim carbones nostri numquam ita refrigerantur, ut omnis aer atmosphaericus removeatur, quod Abbas Felix Fontana ope mercurii vivi effecit; deinde pulverem e carbonibus confectionum cum aqua sumendum curamus; denique, licet hoc ita non fieret, in ventriculo nostro humores habitant, qui a pulvere carbonum absorberi pos-

possunt, quo facto, aerem absorbere nequit. Etiam Priestley in seinen Versuchen und Beobachtungen p. 243. aeris tantum nitrosi minime autem inflammabilis a carbonibus carentibus absorpti mentionem facit. Per magni omnino momenti res esset, si pulvis carbonum hujusmodi nobis remedium praerberet, cuius tamen usus, tot argumentis, quae in contrarium allegari possunt, nondum summotis, in dubio manet.

### §. 16.

Jam me converto ad remedia

II. Externa flatus ventris absorbentia. Haec sunt:

a) Antlia pneumatica, jam a Thilenio \*) usitata, quae praecipue applicanda est

i) Si vitium locale intestini recti invenerit.

B 5                      Equi-

\*) Medic. und chirurg. Bemerkungen. Frf.  
am Mayn 1789. 8. p. 118.



Evidem vidi virum, cuius pars inferior intestini recti adeo indurata, et saepissime clausa erat, ut flatus non emittere posset, quamvis abdomen omne flatibus expansum esset. Huic ope fistulae longitudinis quatuor pollicum, ampla apertura praeditae, cochleae ope affixa enterenchytæ, multum aeris embolum retrahendo, eduxi. Defunctione instituta, vitium locale supra dictum videndi copia data fuit.

2) Si flatus in parte inferiori intestinorum crassorum v. c. in colo transverso cœt. sunt et a spasmis, quos non raro ascariides magna copia ibidem accumulati efficiunt, retinentur.

3) Si colon et rectum intestinum paralyſi afficiuntur. Vid. Trnka de Krzowitz Historia tympanitidis. Vindob.

1788. p. 381.

4) In universali quoque intestinorum tympanitide non videtur frustranea

ma-



machinae hujus applicatio futura,  
praesertim si valvula coli violenter  
ab aere diducta sit patula. Idem  
praefstat

b) Vulgaris pro enemate machina vel  
etiam fistula cylindro solito modo  
adaptata; quam solam a cylindro sepa-  
ratam cum ano ejusmodi in casibus im-  
mitterem, ingentem aëris copiam eru-  
pisse vidi. Idem Phaenomenon saepius  
observatur sub vulgari clysmatum exhi-  
bitione, cum flatus et tunc magna co-  
pia ex intestino per tubulum in ves-  
icam vel in cylindrum illi affixam re-  
deant. Quo amplius fuerit tubuli lu-  
men; eo faciliori negotio res votis  
cedit.

Pertinent huc elysmata carminativa,  
frigida etc. Frictiones infimi ventris vel ma-  
nu sola vel ope pannorum laneorum vel ope  
ungt. carminativor. Frigida lotio ejus mo-  
dica compressio.

CAP.

## SECT. II.

*De iis methodis, quibus curatio radicalis flatuum ventris efficitur.*

## §. 17.

Jam exactis iis quae symptomatibus urgentibus et sanabilibus removendis inferunt, ad eas transimus methodos, quae rationalem curationem magis respiciunt; exhibemus hinc 1) methodum fordibus primarum viarum medendi 2) methodum contra fontes flatuum chronicos et 3) eam quae vitia, a nervis et partibus musculosis intestinorum profecta concernit.

## CAP. I.

*De procedendi modo, cum fordes primarum viarum adjunt.*

## §. 18.

Quod si jam symptoma urgentia a flatibus ventris orta, remota sint, ventriculus et tractus intestinalis a fordibus liberandus est,

est, a quibus fatus ventris producebantur. Priusquam remedia evacuantia vomitoria vel laxantia propinamus, majorem utilitatem praebebit solutio sordium non turgescientium, quae per digestiva leniter roborantia efficiuntur, nisi turgescientia sursum vel deorsum revera jam adsit; in quo casu statim remedia ista in usum vocentur. Numquam in his symptomatibus salia media per se exhibita auxilium ferunt, quia laxitas, sensibilitas irritabilitasque intestinorum jamjam excedit; haecque salia ad augendas potius quam minuendas has qualitates, debilitando praesertim, faciant. Omnia itaque digestiva cum vi resolvente conjuncta et corroborantia esse debent. Huc pertinent praecipue: Aqua saidschutzensis cum tintura rhei aquosa et tartarus tartarisatus cum pulvere rhei aut cortice aurantiorum aut calamo aromatico mixtus.

Si solutione facta turgescientia apparet, sequimur naturam i. e. emeticum, si sordes sursum tendunt; remedium laxans, si sordes

des deorsum turgescunt, suademus. In genere omne laxans magis debilitat, quam emeticum. Laxantia itaque modo commendanda, quoties sunt necessaria nec debilitantia, quod si autem haec adhibentur, corroborantibus composita esse debent.

Quaestio est maximi momenti, quamdiu evacuandum sit? — Si aegrotus febri laborat, cessatio hujus, lingua pura, (licet non semper) appetitus bonus cet. nobis demonstrant remedia laxantia cum roborantibus conjungenda esse; si nulla febris adest, sicuti plurimis in morbis chronicis, tunc omnem statum aegroti observare debemus e. g. appetitum, colorem, linguam, excretionem alvi, dolores capitis, pressionem in praecordiis. Saepissime tamen longo usu evacuantium non obstante, symptomata sordium non cessant; quo in casu, semper novae sordes gignuntur. Quarum causae sunt:

i) Magna debilitas tractus intestinalium.

Hoc in casu evacuantia sunt contra indicata,

cata, quippe quae per vim suam laxativam causam morbi augerent.

- 2) Obstructiones viscerum abdominalium, praecipue hepatis. Quo casu bilis haud secerni solet et inde languor digestio-  
nem. Quia de causa resolventia admi-  
nistrandam sunt.
- 3) Causa perpetuo durans, v. g. indignatio, ira etc: Curatio tunc difficultis est,  
quia saepe causa removeri nequit.

## CAPUT II.

### *De Methodo contra fontes flatuum chronicos.*

#### §. 19.

Ad methodos curationem flatuum radi-  
calem efficienes nec minus pertinet modus  
causis eorum chronicis obveniendi. Frequentissime  
causa flatuum in obstructionibus vis-  
cerum haeret. Has autem obstruktiones  
cognoscimus

i) Ex

- 1) Ex ataxia abdominis.
- 2) Ex colore fusco faciei et habitu corporis subflavo.
- 3) Praecipue Obstructiones inveniuntur in hominibus diu jam malo hypochondriaco vel hysterico laborantibus.
- 4) Medicamina roborantia his hominibus noxia — laxantia vero utilia sunt. Nec minus obstruktiones cognoscuntur
- 5) Ex functionibus laesis viscerum abdominis.
- 6) Causa praesens symptoma praecedens, ut febris intermittens male curata, in cognoscendis obstruktionibus nobis erit adjumento.
- 7) Exploratione abdominali instituta non raro hujus vel illius visceris enormitatem, duritiem, imo nonnunquam hunc eundem habitum pancreatis, glandularum congregatarum mesenterii offendimus.

In



In curatione duae indicationes sunt:

A. Obstructa resolvenda et

B. soluta educenda sunt.

Utraque methodus apte conjungenda est; dum enim evacuamus, solutione non-dum facta, aegrotum multis viribus sine levamine privamus; quaeque remanent eo viiscidiora sunt. Hinc methodus resolvens Cl. Kaempfii \*) praferenda est.

### §. 20.

Resolutio autem triplici modo adjuvatur:

1) Per diminutionem totius massae humorum

2) per ejus rarefactionem et humectationem et

3) per

\*) Abhandlung von einer neuen Methode, die hartnäckigsten Krankheiten des Unterleibes zu heilen etc. Frankf. und Leipzig 1785.

C

- 3) per medicamina proprie dicta resolutio  
ventia.

Venae sectio fit, ad diminuendam massam sanguinis. Partem humorum ejus operam extrahimus, exinde motus liberior humorum efficitur, qui ad resolvendas obstructiones necessarius erat. Vituperandi essemus, si omnibus, qui obstructionibus laborant venam secaremus; ad sequentia ut respiciatur, suademus antequam hoc auxilium in usum vocetur: Secetur vena ubi

- 1) sanguinis massa viscida
- 2) plethora vel suppressa vel vera universalis vel partialis
- 3) fibra fortis et tensa est.

Si vero

- a) aegrotus jam valde debilitatus
- b) Structura corporis illius laxissima et habitus cachecticus est.
- c) sanguis cruento caret; minime vena fecunda est.

Cum

Cum in obstructionibus plerumque plethora abdominis topica tantum adsit, magna ex parte venae sectiones topicae, ut hirudines ano appositae, eucurbitae cruentae regioni lumbali, abdomini inditae, sufficiunt.

Quo magis autem secundo requisito ad resolutionem efficiendam scilicet rarefactioni et humectationi, quarum supra mentionem fecimus, satis fiat; tenuitas humorum agenda est:

- a) si nimia tensio et rigiditas fibrarum,  
nec non
- b) si tenacitas humorum adeat. Contra autem humectatio non indicata est,

  - a) si adeat debilitas, laxitas et inertia vasorum
  - b) in defectu caloris et
  - c) in vappiditate humorum.

Remedium nullum celerius humectat quam aqua, quippe quae haud multa prin-

C 2 cipia

cipia aliena continet, cum tamen sola non adeo facile penetret humores, cum talibus miscenda est, quae coniunctionem ejus cum nostris humoribus faciliorem reddant. Hoc praecipue efficitur acido aereo, melle, mucilagine, fero lactis, fructibus hortensibus, fontibus medicatis, saponibus et saponaceis, cet. Si penetratio augenda est aqua tepida sumenda; calor modicus penetrationem valde adjuvat, motu corporis praeferunt simul factio.

Ad quantitatem autem magnam aquae in corpus introducendam, tres vias proposimus

1) prima via est os. Parvis vero quantitatibus aqua assumenda est. Magnae enim distendunt et hinc debilitant ventriculum una cum intestinis, occasionem itaque flatibus ventris praebent.

2) Secunda aer atmosphaericus humidus

3) tertia denique via, sunt cataplasmata, fomentationes, vapores ope machinae

quam

quam Mudge, (in libro: a radical and expeditions cure of a recent catarrhous cough etc. London 1778) indicavit, quae praecipue applicanda est, ubi vi- tium locale pulmonum invenitur. Ca- veant vero ab his, qui debili admodum ventriculo laborant; quippe quibus po- tus calidus et tepidus omni modo no- xiis esset; hi frigidis utantur diluenti- bus.

Quod tertiam denique indicationem at- tinet, inter tot resolventia semper ele<sup>s</sup>tio est habenda. Qua re cautelae quaedam hic lo- cum habeant:

- a) Omnia resolventia per irritationem suam congestionem proferre possunt in parte, in quam effectus suos exserunt; inde sensus ardoris abdominis, quem infarctus per se jam movent, qui ho- rum medicamentorum ope augetur, si nimis activa sunt et inde plethoram ab- dominalem augendo agunt.

C 3      β) Quae-



- β) Quaevis congestio extensionem et debilitatem producit, haec vasa abdominis ita mutare valet ut facile exinde haemorrhoides primo coecae, dein vero, aucto stimulo, fluidae reddi possunt ab usu resolventium.
- γ) Plerumque longum tempus excurrit antequam effectus suos exerant haec medicamenta; hinc patienter constanterque ut in eorum usu pergit aeger eorumque usui insistat medicus, oportet.
- δ) Alias vero medicamina haec subito nimiam copiam infarctuum resolvunt, inde ad resorptionem fit dispositio; hinc, vel propter auctam humorum copiam spasmos, febrem, vel ob acrimoniam billem atram motam Boerhavii certe producunt.
- ε) Cum sine activitate virium corporis resolutio fieri nequeat, semper debilitas, medicaminis effectum sequitur, quam

quam medicus numquam negligere debet.

Omnia resolventia, vel ut menstrua humida, qualem agendi modum aqua praefstat pura, vel per vim irritantem, ut salia neutra etc. operantur.

Prolixiorem tractationem medicaminum illorum hic praetereo, brevi spatio circumscriptus. Praecipuorum itaque tantum mentionem faciam

Haec sunt:

- 1) Fontes medicati
- 2) Salia neutra et media
- 3) Salia alcalina et vegetabilia, et mineralia et volatilia.
- 4) Extracta amara.
- 5) Praeparatae e mercurio et antimonio
- 6) Enemata visceralia Kaempfii
- 7) Aqua Lauro-Cerasi \*).

C 4 Quam

\*) Thilenius medicinische Bemerkungen.  
Frankf. am Mayn 1789.

Quam primum constat, obstrunctiones viscerum resolutas esse, ventriculi debilitati adhuc remanenti tractus intestinorum, immo totius corporis medicaminibus roborantibus mederi fas est. Cautelas in usu roborantium observandas in tractatione methodi tertiae afferemus; jam vero liceat praecipuorum remediorum roborantium mentionem facere.

I) Amara, ut Extraetum quassiae, absynthii, gentianae rubrae, centaurei minoris cet. cet.

Aegrotis laxis et debilibus praecipue convenient; si vero nimia tensio fibrarum adeat, irritant. Hominibus, qui spirituosis assuefacti sunt, amara solvuntur in spiritu vini vel in vino; si subiecta jam nimio calore laborant, addantur acida.

II. Cortex peruvianus. In diathesi inflammatoria, atra bili, infarctibus et nimia irritabilitate uti reliqua adstringentia nocet. Subjectis vero fibra laxiore

laxiore gaudentibus cortex optime convenit. Diversis rebus admisceri potest, quae coindicationi respondent, ut in acrimonia acida sali tartari et aquae calcis vivae. Melius est hujusmodi decocto particulam calcis vivae addere, quando jam paratum est, quia aqua calcis coquendo deterioratur.

Si debilitas ventriculi maxima est, spiritus vini chiae admiscendus est, alias aegroto noceret.

III. Limatura, vel aethiops martialis, vel aquae martiales cet. iisdem cautelis adhibitis, quas sub no. II. commemoravi.

IV. Acida mineralia, praecipue Elixirum vitrioli Mynsichti et Acidum Halleri.

Observationes recentiores testantur, acida mineralia, praecipue acidum Halleri, infarctus gignere, ea itaque tantum tanquam

remedia palliativa in symptomatibus flatuum  
commendari posse.

V. Balneum frigidum. Quod cum  
cautelis sequentibus adhibendum est,

- a) Universale balneum topicum praecedere potest.
- b) Si aegrotus non assuetus est balneo,  
cum tepido incipiendum et sensim  
sensimque gradus frigoris augendi  
sunt.
- c) Semper caput et partes superiores  
prima lavandae sunt.
- d) Quinque aut decem minuta horae  
sufficiunt.

Contra indicatum est

- 1) ubi adhuc adest suspicio infarctuum
- 2) in hominibus decrepitis
- 3) ubi pars prae ceteris debilior est,  
ut pulmones etc.

4) in

- 4) in humoribus tenacibus et strictura solidi
- 5) ubi miasma specificum in corpore praevalet.

### CAPUT III.

*De methodo medendi, vitiis, quae pertinent ad nervos et partes musculares tubi intestinalis.*

#### §. 21.

Seriem methodorum ad curationem rationalem facientium claudit methodus curandi vitia, quae pertinent ad nervos et partes musculares tractus intestinalium. Est finis medici nimiam sensibilitatem, irritabilitatemque tractus intestinalium curare, ut spasmorum remissio fiat et tractui intestinalium vis restituatur explodendi flatus ventris jam natos.

Observanda itaque sunt haec duo momenta :

A.



A. nimia sensibilitas vel totius systematis nervosi, vel tractus intestinorum removenda

B. sensibilitas et irritabilitas quae adhuc supereft ita dirigenda est, ut

- 1) aer removeatur et
- 2) digestio languida reviviscat.

Curatio radicalis sensibilitatis maxime est difficilis, nam

a) valde diuturna est: hinc taedio fit aegro, nec infreuenter Medicus ipse peccat, cum curationem aegroti, quia morbus chronicus est, negligat. Certe plures hypochondriaci, a malo, de quo agimus sanarentur, nisi medici ipsi curationem radicalem debilitatis tractus intestinorum impossibilem crederent. Hoc fit, ut aegrotus omni eo magis spe privetur, se unquam convalliturum, quia nunquam ex medico audit, se certe sanatum iri. In eo prima medici ars

con-

consistit, ut aegro fidem spemque sanationis excitet. — Emendationem hinc illi post quatuor hebdomadum spatium elapsum, iis sub conditionibus vero similem reddat, si tam ratione diaetae quam Medicamentorum strenue praecepsis a medico datis obsequium tulerit. Si et tunc sanitas non in integrum restituta sit; id tamen exinde redundabit; aegrum diaetae salutiferae jam asvefatum vel ob leviora incommoda vel ob consuetudinem in usu medicamentorum eo magis patienter regulas a medico denuo praescriptas sequi. Ita caute, prudenter constanterque insistendo illis quae a scientia indicantur, difficile opus ad finem perducet medicus.

- b) Aegroti diaetae necessariae ut sese accommodent, vix impetratur. Finge hominem eruditum, qui litteris non nisi cum vita sedentaria operam dare valet, sanandum esse; is numquam regulas diae-

diaeteticas, quae motum corporis jubent, ut fas est, observabit. Et si ambularet tot ipsi ideae occurront, ut ambulando et meditando simul, viribus potius privetur, quam augeatur.

- c) Vitium saepe primarum viarum, praefertim ventriculi et intestinorum adeo depravatum est, ut, licet diaetae exactissime sese accommodet aeger, ipsique optima medicina fiat; vix restitucionem admittat.

### §. 22.

Aucta sensibilitate tractus intestinorum semper videndum est, an sensibilitas et irritabilitas nimia, aut cum tensione aut cum laxitate fibrarum conjuncta sit.

Indicationes duas habemus

- I) sensibilitatem et irritabilitatem nimiam cum tensione partium solidarum conjunctam

II) sen-



II) sensibilitatem et irritabilitatem nimiam  
cum laxitate solidi vivi conjunctam.

Priusquam de ipsa curatione agimus aliquot regulas praemittamus, quae relationem quandam habent ad caput praecedens.

1) Antequam ad curationem ipsam progressumur, si fordes adsint, evacuatio necessaria est. Remedium vero ipsum numquam debilitans, sed potius tonicum simul esse debet v. c. rheum.

2) Si nimia flatum ventris adeat copia, ad curationem radicalem non statim incipiendum est. Si hac jam inchoata, denuo paroxysmi validiores intercedunt, curatio radicalis, durantibus iis, omittenda est, quoniam in paroxismo semper fere vel gignuntur vel retinentur fordes, quae primum evacuandae sunt. Quilibet paroxismus retardat sactionem, quia curatio modo palliativa in eo fieri potest. Aegrotus itaque quantum fieri potest eum vitare debet.

3) Saepe

- 3) Saepe ventriculus ita sensibilis est, ut remedia roborantia sine aliqua suspicione fordium mala symptomata producere possint. Hic cum remediis leniter carroborantibus initium faciendum et ad fortiora sensim sensimque progreendiendum est, v. c. initio curationis serum laetis martiatum, aquae medicatae martiatae, deinde infusum chiae, denique cortex peruvianus, sub forma folida exhibeatur.
- 4) In eligendis remediis roborantibus constitutionis aegroti ratio est habenda. Hominibus constitutionis corporis tenerae, cum fibris irritabilibus, et abundantibus sanguine, rarissime convenient remedia adstringentia. Contra in hominibus frigidis remedia adstringentia effectum speratum producunt.
- 5) Illo in genere curationis medicus indefessus esse debet et interdum intervalla quaedam interponere

a) ne



- a) ne aegroto curatio fiat taedio
- b) et natura uti possit viribus suis.

Hae posteriores cautelae sunt maximi momenti.

- 6) Cum rarissime morbos permanentes sannare medicis contingat, id modo observandum est, ut irritamenta removeantur, quo facto sensibilitas et irritabilitas nimia ipsa cessabit.

### §. 23.

**H**is jam praemissis regulis curationis ad curationem ipsam et quidem ad primam indicationem progredior, nempe ad sensibilitatem et irritabilitatem nimiam cum tensione fibrarum. Saepissime vitium illud in subjectis melancholico-cholericis invenitur. Corpus siccum, firmum, macrum habent, cutis iis sicca, urina rubra, inopia feri sanguinis, animi pathematibus saepe afficiuntur cet: et vitam sedentariam agunt.

D

Re-



Remedia roborantia et adstringentia certe  
damnum iis afferrent, nam fibrae eorum sic-  
cae et firmae, et massa humorum inspissata est.

Remedia leniter resolventia et hume-  
stantia his adhibenda sunt. Balneo itaque  
tepidō et decoctis, infusis, extractis planta-  
rum resolventium, et diaeta antiphlogistica  
eos uti jubeas.

#### §. 24.

Secunda curationis indicatio, quam  
supra commemoravimus in sensibilitate et  
irritabilitate nimia cum laxitate solidarum  
partium coniuncta, consistebat.

Huc exceptis remedii supra jam lauda-  
tis adhuc pertinent omnia remedia antispa-  
modica, quorum sunt praecipua, Valeriana  
sylvestris, Opium, Anthemis nobilis, Chamomilla  
vulgaris, Calx bismuthi cet. cet. et  
illa pracepta, quae parte diaetitica adhuc  
proferemus.

PARS



---

## PARS II.

*De Diaeta flatus ventris praecavente et  
fanante.*

---

### §. 25.

¶ amjam absolutis iis, quae de methodis sanandi flatus ventris dicenda generatim habebam; restat, ut secundum ordinem supra positum etiam in parte secunda hujus speciminis inauguralis de diaeta agamus, cuius ope flatus ventris et praecaventur et sanantur. Et quidem ita, ut primo regulas diaeteticas ipfas exponamus, deinde autem etiam vitia haud praetereamus, quae in diaeta committi solent et flatus ventris omnino gignunt.

CAP.

## CAP. I.

*Ipsae regulae diaeteticae.*

## §. 26.

Relaxatio tractus intestinorum frequen-  
tissima causa est flatum ventris, et morbis  
chronicis recte adnumeratur; ipsa vero per  
vitia diaetetica, ut fere omnes morbi chronic  
fensim sensimque oritur et diaetam emenda-  
tiorem ut sanetur requirit. Tanti haec mo-  
menti est, ut, cum ars ipsa hos in sanando  
reliquerit, denique ope longe continuatae  
strictaque observatae diaetae debilitati tra-  
ctus intestinorum medeamur. Hominibus  
hujusmodi malis affectis medicamina tandem  
oneri fiunt, et praeterea malos effectus ac-  
cidentales producunt, cum saepissime irri-  
tent, ob eamque rationem magnum damnum  
afferant. Medicamenta quoque, quae mala  
chronica evertere non possunt, mutationes  
breves subito quidem, sed non duraturos ef-  
ficiunt. Certe enim in morbis chronicis  
rarissime vitia solidi vivi medicamentorum

ope

ope sanantur, nec multum ab iis in resolutione tractus intestinorum, sperandum. Palilativa itaque tantum sunt remedia fôrdes accumulatas evacuando, motum peristalticum pro tempore excitando diaetae est ut vires naturae in integrum restituat, ut quo curatio radicalis absolvatur. In debilitate itaque tractus intestinorum sananda, a copia medicaminum abstinentium est. Quae huc dum asserui, plurima exempla probant et illustrant hominum, flatibus ventris laborantium, qui, si diaetam, ut fas est, observassent, flatibus ventris haud ita excrucientur. Quodsi autem homines in hujusmodi morbos inciderint, quo facilius sanentur, causae remotissimae flatuum ventris removendae sunt. His in dissertatione pathologica Praenobilissimi Phœbus commemoratis regulæ diaeteticae, quarum jam prolixior rem nunc addimus tractationem, nituntur.

D 3

I. Ra-

- I. Ratione aeris, hoc observandum est; aer siccus, calidus et serenus sit, contra aer frigidus humidus et nebulosus evitetur.
- II. Ratione motus; exercitium corporis modicum sit. Praecipue talibus aegrotis convenit equitatio, quam jam Sydenham tanquam remedium praecipuum commendavit. Qui equitare et ambulare non potest, frictionem abdomini applicet, quae saepissime utilissima est.
- III. Ratione animi pathematum, quorum praecipue tristia flatus ventris signunt. Musica, itineribus et societibus ea fugabuntur.
- IV. Ratione alimentorum; Modicus sed frequens usus alimentorum ad concoquendum facilium praecipue commendandus est. Omnia alimenta, relaxantia et oleosa flatus ventris causant. Usus ciborum duriorum interdum permit-

mittendus est, at in genere nihil praescribi potest. Aegrotus se ipsum observare debet et illis alimentis uti, quae ei convenient. Diaeta animalis vegetabili preferenda.

V. Ratione potus. Praecipue evitandus est

- a) abusus potulentorum calidorum, ut Theae, Coffeae cet.; talibus aegrotis magis convenit cerevisia lupulo maritata et aqua cum vino Rhenano mixta.
- b) Usus subacidorum et austeriorum vinarum, generosorum contra suadendus.
- c) abusus spirituorum, quae ventriculum et tractum intestinalium contrahunt et glandulas obstruunt.

VI. Ratione somni.

Somnus recreans maximam utilitatem affert; sed ne nimis protrahatur, ubi semper debilitat.

## VII. Ratione se- et excretionum.

Se- et excretiones in flatum ventris productione haud parum valent, quod quisque in se ipso quotidie observare potest. Venus itaque modica sit; excretio alvi urinaeque lenta medicamentis diaeteticis exicitetur et praecipue transpiratio insensibilis et circulatio sanguinis in vasis remotis, per levem frictionem, fomentationes corporis, aerem serenum, animum quietum, nullo plane modo pedes frigori exponendo cet. cet. adjuvetur.

## CAPUT II.

*Vitia quaedam, quae in diaeta committi solent et flatus ventris gignunt.*

## §. 27.

Ad haec vitia, quae in diaeta committuntur, pertinet

1. *Usus frequens medicaminum carminativorum.*

Sunt, qui ante, aut post coenam interdum etiam in ipsa caena multa Tinctura salina,

na, pulveribus digestivis, essentia amara et dulci, visceralibus cet, utuntur, debilitatem ventriculi per cibos digestionem impedientes causatam per ea emendari posse putantes. Errant autem cum excitando debilitatem partibus digestioni inservientibus inducant.

*II. Nimia a cibis abstinentia.*

Multi homines, si edendo et bibendo excesserunt, vires ventriculi sui per longum jejunium restituere volunt; sed utrumque extreum ventriculo nostro nocet. Nam si ventriculus cibis ac potulentis nimis repletur, parietes illius supra modum extensi, tonum perdunt. Contra vero longe jejunando parietes ventriculi collabuntur, et per calidum vaporem, qui semper in ventriculo inventitur, debilitantur, quia stimulo carent. Debilitas et flatus abstinentiam a cibis sequuntur. Non solum hominibus juvenilis adhuc aetatis longum jejunium noxium est, quia humores deteriores redduntur, incrementum corporis impeditur et vires absumentur;

muntur; sed etiam aetate jam profectioribus,  
cum flatus inde augeantur. Saepissime enim  
flatus ventris, vertigo, dolores capitis, ani-  
mi deliquia cet. evanescunt, si modo panem  
bis coctum et paululum vini sumunt. —  
Multos vidi homines, qui juvenes vino erant  
deditissimi et quatuor aut sex ferculis vesce-  
bantur, senes ab omni vino abstinebant et  
modo uno ferculo vescebantur, vesperam  
versus si quid sumerent, nihil, quam quae-  
dam vascula thea repleta, cum lacte, et  
mane etiam talem potionem. Hoc genus vi-  
tae incommoda illis attulit, appetitum ami-  
serunt, humores deteriorabantur et ventri-  
culus intestinaque semper flatibus impleta  
erant. Per modicum vini et ciborum in-  
terdum quotidie quaternis vicibus repetitum  
usum, si hoc vitae genus diu continuabatur,  
nec malum inveteratum erat, radicaliter fa-  
nabantur. Noxium hinc praesertim eorum  
declaramus morem, qui semel tantum intra-  
nychthaemeron cibos assument.

§. 28.



## §. 28.

Aliud vitium, quod haud raro committitur, est

*III. Vita otiosa.*

Revera otio se dare magnam praecau-tionem desiderat. Observes velim hominem, qui antea vitam laboriosissimam agebat, nunc autem diem sedendo consumit, nec minori quantitate ciborum quam antea vescitur. Exercitii corporis loco, ludis operam dat, sedi et ludendo diem ad coenam usque caufumit. Nunc epulis vino-que se onerat. Quamdiu vinum tonum praebet intestinis, dormit; sed haec ipsi requies per quasdam tantum horas contingit, nam cum vinum vim suam amisit, flatus ventris eorumque effectus scilicet spasmi oriuntur. Nunc utitur Carminativis, Elixiriis, Clysmatibus cet. de vitae genere in to-tum mutando, si sanitatem recuperare vellet, haud cogitans. —

*IV. Ni-*

*IV. Nimius usus aquae frigidae.*

Aquae frequens usus flatibus ventris occasionem praebet. Non omnes homines eadem aquae quantitate uti possunt. Quisque se ipsum observare debet. Homines laboriosi et cholericci, majorem portionem sumere possunt, quam ii, qui vitam sedentariam agunt, et structuram corporis laxiorem habent. Sex aut octo librae aquae quotidie sumtae uni convenient, sine malis effectibus et in altero efficiunt distensionem ventriculi, laxitatem et debilitatem intestinorum, quibus itaque nulla vis in aerem sese evolventem, vel in flatus ventris jam natos supereft. Qui multam aquam bibere coactus est, misceat illam cum vino vel aliquo spirituoso vel saltem potionem stimulantem sumat.

*V. Usus (consuetus) vini adusti.*

Per vinum adustum quisque se fortiorum reddere cogitat, omnia promiscue edit et bibit, paululum vini adusti vires digestioni  
inser.

inservientes excitaturum putans. Quo sumto, se primo levatum sentit, quod opinionem suam probare videtur. Hoc itaque vitae genus continuat. Si vero vinum adustum ipsi utilitatem praebere debet, quolibet mense quantitatem vini adusti augere cogitur. Inde fit potator, ventriculus insensibilis redditur et ipse ebrius fit. Hoc vitae genus aut per breve aut longum tempus continuat, pro ut corporis physica constitutio aut bona aut mala est. Denique vero trifissimos sentit effectus, quos tale genus vitae efficere solet. Omnes hos effectus hic recensere nolo, sed eos tantum effectus nomino, quos ratione ventriculi et tractus intestinorum habet. Plerumque vinum adustum nominatur.

a) Remedium digestivum, quod vero, quoniam acidum continet certe in omnibus cibis non est. Si multos cibos pinques sumsimus horum naturam eo magis noxiā reddit, quo omne aci-

E

dum



dum pingui additum id ipsum spissius reddit et in sebum eo citius mutat. Melius est, tales cibos vitare. Ciborum modicus usus, exercitium corporis et potus diluens, medicamentis optimis praevalent.

b) *Stamachicum.* Hac ratione ejus utilitas negari non potest; sed usus continuus, semper noxius est, cum efficiat rigiditatem solidi vivi, praecipue ventriculi, haemorrhagias, complures affectiones nervorum cet;

### §. 29.

Jam vides Lector Benevole quae sit praeminentia methodi rationalis jam supra laudatae; parum enim remedia palliativa proficiunt, ea potius sunt, quae valetudinem haud contemnendam auferunt et vitam terminis brevioribus circumscribunt. Quod reliquum est, remedia carminativa, qualia-  
cum-

cumque demum sint, evitentur et ea obser-  
vetur diaeta, quae jure accuratissima dicitur.  
Quod si jam adsint vitia permanentia, ut ni-  
mia sensibilitas irritabilitas et sic porro in sa-  
nandis iis; regulae curationis rationalis, quam  
accuratissime fieri potest, observentur.

---

THE-

---


## T H E S S.

- I. Actus ille indicialis, qui dicitur gerichtliche Aufhebung, abrogandus est.
  - II. Inunctio unguenti mercurialis in morbis venereis ad optimas pertinet methodos medendi.
  - III. Quilibet non medicus, non nisi medico in consilium adhibito, medicaminibus uti debet.
  - IV. Dantur morbi, qui a parentibus ad liberos propagantur.
  - V. Ex praejudicium valde noxiun, quum homines laboribus continua assueti, vitam quietam eligunt.
-

6018  
PICA



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
CURATIONEM  
FLATUUM VENTRIS  
EXHIBENS



T Y P I S H E N D E L I A N I S .

